



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Explicatur sexta Definitio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DEFINITIO V. VI. VII.

7

afinas, quas nudius tertius amiserat, esse inventas Samuel Propheta Satili significavit. Sic quæcunque Naaman inter & Giezi pacta fuerant, Eliaus perspecta habuit. Sic Epimenidem Cretensem, quem Prophetam Paulus Apostolus appellat, de futuris haudquaquam vaticinatum fuisse testatur Aristoteles in Rhetoricis, sed de præteritis, at obscuris. Quamquam eum & de futuris Athenienses, Lacedæmonios, ac Cretenses monuisse, Plato, Plutarchus, & Diogenes Laërtius asseverant. Περσφίτης, inquit Procopius, ὁ περσφάσιων ἢ τὸ μέλλον, ἢ τὰ παρόντα λαμβάνοντα. *Propheta is est, qui prædicat, vel futurum, vel præsentia occulta.* Plurima in id argumentum congerit Theodoretus, Præfatione in Psalmos, quem consuli velim. Prudens quoque illa & sagax futurorum præsentio, Prophetia est. Hinc vetus illud:

Μαῖνε δ' αἰετος, ὅστις ἔγχε' ἡγάδαιε
Qui bene coniecit, vatem perhibebo optimum.

Hinc & illud Ovidii:

Augurium ratio est, & conjectura futuri.

Hoc sensu insignis Prophetia habendus est Thales Milesius, qui exploratis ac præcognitis naturæ viribus uberem olearum proventum prædixerit. Hæc Prophetiarum genera non sunt instituta disputationis, sed ea tantum quæ futura spectant, & ad quæ nullum postum est in naturalium causarum consideratione præsidium. Progrediamur ad quintam Definitionem, quæ talis est:

DEFINITIO V.

Religio vera ea est, quæ res solum veras ad credendum propositas habet.

I. SCIO Religionem proprie dictam definiri à Theologis, Virtutem per quam Deo debitum cultum exhibemus. Hic autem latius Religionis nomen patere volo, & ad omnia virtutis officia pertinere, quibus Deum nobis conciliamus, adeo ut virtutes quæque theologicas, fidem, spem, & charitatem complectatur. Quo sensu dixit Augustinus Deum coli fide, spe, & charitate. Ex nostra autem Definitione sequitur falsas esse Ethnicorum Religiones, ut pote quæ res falsas ad credendum habent propositas, & falsam indem Judaicam, ut pote quæ rebus veris detrahat fidem, quod tantumdem est, ac falsis fidem adjungere: perinde enim fallitur, qui vera habet pro falsis, ut qui falsa pro veris. Sive autem pertinacia, sive ignoratione occæcatus aliquis rebus fidei obsequium meritis id præbere detrectet, in falsâ æque Religione hærebit. His verbis concluditur sexta Definitio:

DEFINITIO VI.

Messias est homo Deus, à Deo divinitus missus ad hominum salutem, & à Prophetis in Veteri Testamento prædictus.

I. MESSIAM esse hominem Deum negant quidem Judæi, & Christiani nonnulli; si modo Carpocratiani, Ebionitæ, Samosatani, eorumve fraterculi Sociniani, Christiani dicendi sunt. Fatentur illi tamen Messiam, si non hominem Deum, at hominem divinum esse, & reliquæ Definitionis parti ultro assentiuntur. Verum hæc ipsorum inter se esto disputatio, quæ nihil nunc quidem facit ad propositum. Capitalis hæc est & decretoria Christianorum cum Judæis controversia, utrum Messias sit Jesus Nazarenus: atque eo pertinet postrema Definitio quæ talis est:

DEFINITIO VII.

Religio Christiana ea est, quæ Jesum Nazarenum Messiam esse statuit, & quæcunque in Libris sacris sive Veteris, sive Novi Testamenti de eo scripta sunt, pro veris habet.

I. HIS septem Definitionibus contenti sumus. Nullæ in iis ambages, trix nullæ, tenebræ nullæ; cujusmodi in ipso Geometricarum Definitionum aditu densissima occurrunt: nam & ea definiuntur quæ nusquam sunt, nec fuerunt unquam, neque humana industria esse possunt; & ita definiuntur, ut nihilo plus intelligas. Cum enim punctum esse dicunt, cujus nulla est pars, vel lineam, longitudinem latitudinis exper-

Matth. 26. 6.

Tit. 1. 12.

Plat. 1. de legib. Plutarch. Solon, Diog. Laërt. Epimen. Procop. in. 1. 12.

Ovid. 1. Trist. Eleg. 8.

Explicatur quinta Definitio.

August. Enchir. cap. 3.

Explicatur sexta Definitio.

Conferuntur Definitiones nostra cum Definitionibus Geometricarum.